



Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1602

II. Quod post pueritiæ flores, & adolescentiæ bonos odores pro morum
maturitate sublimatur episcopatus dignitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

II.

SUCCESSIT igitur in tam perspicaci puero felix adolescentia, & incrementa temporum florent incremento virtutum; & præuenit virum maturitas morum, nam collatanea teneritudinis eius prudentia facile suadebat iuueni, rationis pondere, transitorium omne quàm fuisset leue. Vnde factum est, vt nec ad spem & gaudia mundi inclinaret oculum, tristitiam quoq; vel metum nullius haberet pensi. Quare fuit & in correctione amicorum liber animus, dulcis exhortatio, moderata locutio. Tum præterea pretium cordis, commédatur pulchritudo corporis, & suauissima dona sapiétia præbuit ex honestissimo ferculo. His ornamentis conspicuus, per Ecclesiasticos gradus ascendens vir Dei, post dilectionem meruit reuerentiam, donec disponente Dño, consensu cunctorum, morum custos & exemplum vitæ ordinatur Eps.

III.

DISPOSITA verò in sublimi lucerna, quibus radiis effulserit, qua serenitate patriam illustrauerit, omni orationi materiam dabit. Igitur & quis erga seipsum, deinde qualis ad subditos, & ad cæteros fuerit proloquamur. Duplicem custodiam corpori, duplicem menti disposuit. Nam ne lex corporis eneruaret legem mentis, & plena voluptas exhauriret vbertatem cordis, continuo ieiuniorum & vigiliarum præsulatu præuidit. Porro lectionis & orationis vicaria successione, & expatiantis animi discursus inhibuit, & suggestionis aduersæ militiam exclusit; & inter agendum quid, solennis ei semper ad vtrumque fuit opus psalmodiæ dilecta materia, sane singularis pauperum thesaurus, pupillorum pater, refocillatio senum, viduarum vnicus, desperatorum spes, medicina languentium, miserorum confugium, sic hospitalis, vt neque manum à munere domus exhausta retraheret, neq;